

Vg  
1477



R



Q. 211. 20.  
Q. 211



**RESPONSUM DA-  
TVM LEGATIS PONTIFICIIS  
Zachariæ Delphino Episcopo Pha-  
rensi patricio Veneto, & Commandeno  
Episcopo Jacenthino, in Conventu  
Naumburgensi.**

Anno 1561.

*Recusum ad editionem Witebergensem: præmissâ  
utriusq; Legati Oratione.*



III, 218

OK 511



# ORATIO LEGATORVM PONTIFICIS AD

*Principes Germanos habita Naumburgi*

*Die V. Februarij, M. D. LXI.*

## ALTER LEGATUS.



Um summus Pontifex ad sacro sanctæ regimen Ecclesiæ vocatus esset, in eam statim curam pro suscepto munere Pastoralis incumbere cæpit, quomodo corrupti mores emendarentur, ut esset, tandem pax Ecclesiæ, & idem sentiret omnes Nationes. Cumq; tam ad mala sananda, quàm ad bona consequenda, nullum aliud remedium quàm sacri Oecumenici Concilij celebratio superesset, habita matura deliberatione cum ordine Cardinalium, Sacrum tandem Tridenti ad festum Pascatis Concilium celebrandum, auctoritate divinitus sibi tradita decrevit. Ut verò ad notitiam omnium Principum id perveniret, & ipsi eandem curam susciperent, suaq; studia ad consulendum Germaniæ tranquillitati, Pontificiæ sollicitudini conjungerent, ablegavit nos nuntios suos, qui pro amore & studio, quo inclitam Germaniæ nationem semper prosequutus est, ejusq; unitatem dilexit, Pij Pontificis nomine, singulos conveniremus, rogaremus, hortaremur, & obsecraremus ut ad Concilium hoc accederent, cum plena mansuetudinis ac pacis omnia ibi sint futura, omnes ibi auditum, ac in rebus justis benignè ex-

): ( ij

auditum

auditum iri. Petantq; vt ijdem Principes piam hanc solici-  
tudinem, progressum habere velint, cum Pontifex nihil  
aliud studeat, nisi ut concordia & pax Ecclesiæ restituan-  
tur. Paratus est idem Pontifex saluum conductum Prin-  
cipibus in amplissima & tali forma dare, qualis unquam  
data fuit, aut excogitari potest. Petit quapropter Pontifex  
ac hortatur ut singuli Principes Legatos suos cum plenis  
mandatis eò mittant, vt Principum studio sedatis Ecclesiæ  
disfidijs (tot enim de Religione opiniones, quot capita: &  
tot Evangelia, quot doctores) Ecclesiæ suum decus resti-  
tuatur, vna fides vbiq; seruetur, & unus Deus ab omnibus  
colatur. Cætera Principes ex Collega audituros.

### ALTER LEGATVS.

**I**llustrissimi Principes cum eadem mandata vtriq; no-  
strum summus Pontifex dederit, non arbitror repeten-  
da quæ à Collega jam apposita sunt, at explicandas cen-  
seo Ecclesiæ calamitates. Nemo est enim qui ignoret, quo  
res deducta sit, & quo relabatur. Aliud ex alio malum ex-  
oritur, hostibus Christiani nominis ad perniciem Reip. a-  
ditus datur. Huic obuiam vt eatur, opus est. Postulant hæc  
pericula, suadet temporis opportunitas, Pij Pontificis be-  
nignitas, & studium vt nulla vnquam pacis conciliandæ  
commodior occasio oblata, aut dari posse videatur, paca-  
ta Republ. Christiana, ac Pontifice diuinitus dato, cujus  
studium singulare est erga Principes, solliciti de animarum  
salute, & ut Ecclesiæ pax & tranquillitas restituatur. Hæc  
sunt quæ paucis exponenda censuimus. Re-

RESPONSIO PRINCIPVM AD LEGATOS  
PONTIFICIOS.

**I**llustrissimi Sacri Romani Imperij Electores ac Principes, Illustrissimorum Electorum & Principum Legati ac Consiliarij, ad Orationem vestram, qua Pontificis Romani mandata Celsitudinibus ipsorum exposuistis, hoc responsi vobis dari iusserunt: Non dubitare se quin multi omnium gentium in toto orbe terrarum, viri docti, sapientes & pij jamdudum meliorem Ecclesiae statum optarint, & nunc quoq; anxia ad DEVM vota faciant, ut tandem doctrinae puritas restituatur, & tetri in Ecclesiam inveci abusus pia emendatione tollantur. Quod ipsum Pontificibus Romanis in sua jurisdictione praecipue curae esse debet, qui Ecclesiae titulum tam longo annorum spatio magnifice sibi arrogarunt. Verum quibus ipsi potissimum rebus semper occupati fuerint, nimirum dominandi cupiditate, regnisq; inter se committendis, & superstitionibus in Ecclesia cumulandis, magis quam illustrandae gloriae DEI, sanandisq; Ecclesiae morbis, obscurum bonis omnibus non est, & multos Pontificio nomini addictos viros sapientes fateri necesse est. Mirantur autem Illustrissimi Electores ac Principes reliquorumq; Legati, qua vel opinione persuasus vel spe fretus Pontifex Pius Quartus, missa hac legatione, Celsitudinibus suis Concilij indictionem obtrudere, eosq; Tridentum vocare ausus fuerit. Neq; enim Pontificem & vos ignorare quam Religionem status

Augustanæ Confessionis amplectantur, quibusq; de cau-  
sis Ecclesias suas, juxta synceram Evangelij doctrinam re-  
purgare, & se ab eo cœtu, qui oppressâ doctrinæ cœlestis  
veritate, suam potius quàm Christi gloriam quærit, sejun-  
gere coacti sunt. Sic igitur Pontificem ac vos statuere Il-  
lustrissimi Principes volunt: non agnoscere se Romanæ  
sedis auctoritatem, certoq; Celsitudinibus suis Divini, ac  
Humani Juris indubitatis testimonijs, persuasum esse,  
Concilij indicendi jus Pontificem Romanum non habere.  
Judicis enim officio fungi, & controversias dirimere, eum  
à quo disensiones & distractiones in Ecclesia ortæ sunt,  
quiq; manifestam veritatem crudeliter oppugnat, fas non  
esse & humana dicitur ratio, & Divini humaniq; juris  
scripta testantur. Injustè etiam oratione vestra sese taxari  
Illustrissimi Principes adfirmant, quod nullam fidei certi-  
tudinem habeant, sed tot nunc sint Evangelia, quot docto-  
res, tot religiones quot voluntates. Extat enim non so-  
lum de omnibus fidei articulis, perspicua ipsorum confes-  
sio Imperatori Carolo V. Augustæ anno XXX. exhibita:  
verùm etiam varijs hætenus editis scriptis cælestis doctri-  
næ veritas illustrata ac propagata est. Quibus autem erro-  
ribus Romana nunc Ecclesia imbuta, quamq; tetrus abusi-  
bus & superstitionibus vera Evangelij doctrina oppressa  
sit, ut Ethnicæ quàm Christianæ Religioni similior esse vi-  
deatur, universi orbis terrarum querelæ testantur. Cum-  
que non errore lapsi nec temeritate, curiositate, aut pra-  
vis cupiditatibus, sed severissimo DEI mandato, quo præ-  
cipi-



cipitur, idòla fùgienda esse, impulsì Germaniæ Principes,  
à Romana Ecclesia discesserint constanter in ea sententia  
perseveraturi sunt, nec nullas sibi à Romano Pontifice le-  
ges præscribi patientur. Nullius enim auctoritatem, vel  
jurisdictionem quàm Imperatoris sui Ferdinandi Cæsaris  
agnoscunt: cujus Legatis quam ipsi de Concilio Oecume-  
nico ac generali celebrando spem ac sententiam habeant,  
coràm hìc exposuerunt. Quòd verò ad vos attinet, ita vo-  
bis omnino ut persuadeatis, Celsitudines ipsorum volunt,  
Nisi Pontificiæ legationis munus nunc quidem obijissetis:  
omnia Celsitudines ipsorum clementiæ ac benevolentia  
studia & obsequia vobis ex nobilissimis Venetorum fa-  
milijs ortis præstituros fuisse, tum quòd erga Amplissi-  
mam Venetorum Rempublicam animo adfecti sunt bene-  
volo, tum verò etiam quòd vos ob generis nobilitatem,  
doctrinæq; ac sapientiæ laudem, favore suo dignos esse,  
ipsi profitentur.




29 1477 BK

Faint, mostly illegible Latin text, possibly a letter or official document, with some visible ink bleed-through from the reverse side.



xix





Faint, illegible text visible on the left edge of the page, likely bleed-through from the reverse side.

**ULB Halle** 3  
004 850 688  




211. 20  
211

# RESPON

TVM LEGATI

Zachariae Delphi

rensi patricio Vene

Episcopo Jacent

Naum

Anno

*Recusum ad editionem*

*utriusq; L*

